

Moriniacensis monasterii monachis salutem et apostolicam benedictionem.

Et dilecti filii nostri Thomeꝯ, sub cuius abbatis cura degitis, et aliorum probabilium virorum relatione comperimus, quod opitulante Dei omnipotentis gratia religionem excolitis et regulari disciplinę sollicitius insudatis. Qua in re nos vobis in Domino congaudemus et vos ad meliora semper intendere monitis presentibus exhortamur. Unde et eiusdem abbatis petitiones clementer admisimus et vos sub apostolicę sedis tutelam confovendos suscepimus. Statuimus enim, ut nulli omnino hominum liceat cenobium vestrum temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro¹ quorum sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Quęcunque igitur bona fideles quilibet de suo iure vestro Moriniacensi monasterio contulerunt vel in futurum Domino prestante contulerint, quęcunque etiam aliis iustis modis acquisita sunt, vel in futurum acquiri contigerit, quietas vobis in perpetuum et firma serventur. Quicunque vero domum ipsam et in ea Domino servientes fovere suisque rebus honorare curaverit, omnipotentis Dei et apostolorum eius gratiam consequatur. Si quis autem decreti huius tenore cognito temere contraire temptaverit, sciat se omnipotentis Dei et apostolorum eius indignatione plectendum et mucrone sancti Spiritus feriendum, nisi Deo et ecclesię fratribus canonice monitus satisfecerit.

De ecclesia vero Veterum Stamparum, quicquid in privilegio domini fratris nostri Senonensis archiepiscopi continetur², auctoritate apostolica firmamus. Decimas a populo sacerdotibus ac levitis esse reddendas divine legis sancxit auctoritas; cęterum a monachis sive clericis communiter viventibus nulla ratio sinit, ut milites aut episcopi aut persone quęlibet decimam de illorum laboribus propriis nutrimentisve suscipiant. Eapropter presenti decreto interdiciamus, ne milites, episcopi aut persone ceterę a vobis de laboribus seu animalibus vestris nec ab aliquibus monachis sive clericis communiter viventibus decimam de laboribus seu nutrimentis propriis extorquere aut exigere debeant. Beatus quippe Gregorius cum de dividendis decimarum fructibus loqueretur, Augustinum Cantuariorum episcopum instruens sic ait³: Communi autem

1) 'per' Hs. 2) Corr. aus 'continentur' Hs. 3) Vgl. Beda, Hist. eccl. I, 27 ed. Holder p. 38.